LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
DG S '14

HÖHERE BÜRGERSCHULE

MIT

GYMNASIALCLASSEN

ZU

WANDSBECK.

II.

JAHRESBERICHT,

WOMIT ZU DER

AM 19. MÄRZ STATTFINDENDEN PRÜFUNG DER SCHÜLER

UND ZU DER

VORFEIER DES GEBURTSTAGES SR. MAJESTÄT DES KÖNIGS UND KAISERS

WILHELM

AM 20. MÄRZ 1875

IM NAMEN DES LEHRERCOLLEGIUMS

EHRERBIETIGST EINLADET

DR. HERMANN KLAPP,
RECTOR.

INHALT: 1. Quaestiones de Anthologiae latinae carminibus nonnullis.
2. Schulnachrichten.

Beides vom Rector.

WANDSBECK.
DRUCK VON FR. PUVOGEL.
1875.

QUAESTIONES

DE

ANTHOLOGIAE LATINAE CARMINIBUS NONNULLIS

SCRIPSIT

HERMANNUS KLAPP.

De Anthologiae Latinae carminibus nonnullis scripturus primum si qua a viris doctis aut emendata aut animadversa me praeterierunt ut excusetur oro. Nam ut vel eos, qui in ipsis litterarum sedibus versantur, satis multa ab aliis prolata in tanta et librorum et ephemeridum et programmatum copia fugere cotidie videmus, ita mihi, qui potestate eas res quae ad artem criticam exercendam necessariae sunt facile comparandi sim destitutus, si quid commemoratione dignum insciens praetermiserim veniam non defuturam confido. Velut accidit, ut, cum paullo serius O. Schubertum dissertationem scripsisse, cui inscribitur „Quaestiones de anthologia codicis Salmasiani", comperissem, eum libellum assequi non possem. Ea autem, quae Aemilius Baehrensius in Fleckeisenii annalibus anno 1872 editis protulit, toto hoc opusculo perfecto in manus meas pervenerunt. Quamobrem hoc loco me c. 731, 125; 306 tit. in eandem ac Baehrensium (l. l. p. 361. 364) et c. 731, 139 (p. 361 sq.) in similem coniecturam incidisse profiteor; is enim scribi vult

Arquata est rutilo capiti radiata corona.

Quarum emendationum utra sit melior aliis diiudicandum concedo. At quod Baehrensius c. 731, 103 proposuit (pag. 361)

Crescit, ut in densum coiit, sub tempore certo,

id minus verisimile esse quam meum pro certo affirmare liceat. Carm. 292, 4 autem haud scio an rectius cum Baehrensio (p. 364) legatur

Et posito famulans furore temperat minas.

Sed haec hactenus. Iam ad opus propositum accedamus.

LUXORIUS.

Luxorii Afri, qui ineunte sexto post Christum natum saeculo sub regno Hilderici Vandalorum regis (a. 523—530 p. Chr. n.) in Africa vixit (cf. c. 203), in Anthologia Latina e codice Salmasiano desumpta unum et nonaginta carmina extant, quorum numeri in editione Alexandri Riesii (Lipsiae 1869. 1870) sunt 18. 208. 287—395. E quibus qui Luxorii artis atque dicendi generis imaginem sibi fingere volet, eum carmen **18 Epithalamium Fridi** ut centonem Vergilianum omittere necesse est. In reliquis autem considerandis ita instituemus, ut primum de re prosodiaca, deinde de re metrica, tum de re grammatica dicamus, postremo quae vel coniectura emendavisse vel rectius quam adhuc interpretati esse nobis videamur proferamus.

Ac primum quidem, ut a **re prosodiaca** ordiamur, syllabarum longarum correptionem, brevium productionem considerabimus.

O finalem posteriorum more (cf. Luc. Mueller. de re metr. poett. lat. p. 336 sqq.) correptam videmus 321, 2 (referto), 331, 6 (sculpendo), 338, 3 (rixando), 346, 3 (arando), 351, 12 (meditando). Fame correpta ultima c. 299, 6 invenitur, sic primum a Luxorio usurpatum (L. M. p. 382). Quamvis correpta ultima habemus 293, 1, ut apud Dracontium (ed. Duhn) 8, 603. Quod autem Luc. Mueller p. 342 possis ultima breviata e v. 4 c. 336 repetit, eam mensuram certo quidem comprobari non posse sed verisimilem esse infra videbimus metro phalaecio considerato. Sed as syllabam finalem cum Luc. Mueller p. 342 unquam in verbis latinis corripi neget, vivas breviata ultima carm. **318**, 6 corruptum esse probabile est, cum praesertim is versus etiam aliis vitiis laborare videatur. Sunt autem huius carminis **ad eum qui per diem dormiens nocte vigilabat** vv. 5. 6 hi:

At si tale tibi studium natura paravit,
Vivas ad antipodas: sic velut inde redis.

V. 6 omnes codices habent sis et redi. Fortasse omnia sanata erunt, si scripseris vivis et redi. Quo facto hanc sententiam habebimus: „si per diem dormis et per noctem vigilas, nos, quibuscum vivis, antipodes tui sumus; itaque hinc ad tuos redi.“ Velut vox quodammodo redundat ut 294, 4.

Pergimus ad correptiones in mediis verbis factas. Quae exempla omnia, si excipias verecundus c. 345, 8 breviata secunda et facundior c. 295, 5, cogente c. 298, 7 correptis primis, syllabas insignitas accentu grammatico correptas exhibent. Sunt autem haec: c. 299, 1 diei; 314, 7 quesumus; 314, 8 vivis; 326, 6 detur (cf. Drac. 8, 314); 359, 8 catus (sed 375, 1 longa priore syllaba); 361, 2 libido. Accedit 340, 2 negotii correpta secunda simulque producta prima positum. Quod cum ita sit in vocabulo usitatissimo, c. 351, 13 in nomine proprio non opus est invento L. Muelleri (p. 268) scribentis Cleubulus pro eo quod in codicibus est Cleobolus producta prima, correpta tertia. In nomine quod est Fridamal utrum prima syllaba longam an brevem vocalem recte habeat, cum utraque mensura usurpetur c. 304, 14 et 305, 1, diiudicari nequit.

Restant duo loci, ubi longam syllabam corripi puto. Carm. **357**, 8 versus dimeter anapaesticus sic legitur:

Cui dedit plures docta libido.

Cui vox cum nec monosyllaba longa nec disyllaba versui apta sit, Riesius dubitat an dat pro dedit scribendum sit. Teuffelius autem in histor. litt. Rom. p. 1082 consonam finalem t ut in vulgari eius temporis sermone quodammodo evanuisse putat. At talis pronuntiatio ut valuerit, tamen positionis leges ea imminui nec apud Luxorium nec apud alios huius aetatis poetas reperi. Verisimilius existimo Luxorium cui monosyllabum brevi i legi voluisse, ut Terentiani et Prudentii singula exempla L. Mueller affert p. 270. — Alter locus est carm. **322**, 3

Coniugis castae viscera damnas,

ubi Teuffelius eodem modo s litteram evanuisse putat. Potius crediderim Luxorium, ut coiugare invenitur, ita coiugis scripsisse, ut fecit Porphyrius (L. M. p. 471), et primam corripuisse usum falsa analogia vocum quae sunt biiugus, quadriiugus.

Iam de productione brevium dicturus primum finales syllabas in arsi et caesura productas enumerabo. E quibus a productum in ignota stupet 350, 7 non caret auctoritate poetarum classicorum (L. M. p. 320). Deinde h litteram loco consonae Luxorius habuisse putandus est 325, 2 (datur. huius); 366, 5 (sidus haec); 367, 2 (Phrygius Hector); 367, 4 (fictus Hector). Restant producta ultima proximior 314, 3; forsan 322, 6; cupere 323, 8; regere 328, 3; dominus 341, 6; nimis 354, 1; ille 357, 6; erat 370, 4. Quibus exemplis addo amphitheatrale **373**, 1, ubi legendum

Amphitheatrale podium transcendere saltu
Velocem audivi iuvenem,

pro eo quod est apud Riesium amphitheatralem, nisi forte aut podium masculino genere aut iuvenem amphitheatralem dici malis. Sed carm. 349, 1

Hunc quis non credat ipsis dare Syrtibus amnes

sic recte legi cum codice Bellovacensi, non Quis hunc cum codice Salm. vix opus est commemorare.

In arsi sed non ante caesuram productas syllabas finales vel voces monosyllabas habes has: gravius 341, 5, quo in exemplo sequens vocabulum h littera incipit; deinde ut 287, 9; que 304, 4 ex egregia Riesii coniectura; dulcis 332, 12; sed 305, 8 bene Meyer scripsit pro te loco prope.

In exemplis syllabarum in mediis vocibus arsis vi productarum dehinc 287, 12 non numerandum esse infra demonstrare conabor. Sed indoctaque longa paenultima adhibitum c. 316, 3 cur Meyer et Riesius ferre noluerint non video. At cunctaque eadem mensura usurpatum esse 370, 1

Pica hominum voces cunctaque animalia monstrat

non credo. Nam carmine **370 de pica, quae humanas voces imitabatur** demonstrare vult poeta picam aut Picum fuisse aut hominem rursus in ea inesse (v. 4). Qua in re nihil refert num pica omnia animalia imitetur. Praeterea ut hominum voces picam imitari saepissime veteres dicunt, ita bestiarum ubi mentio fiat nescio. Scribemus igitur cuncta ante animalia, ut intellegatur, omnium animalium proxime ad humanam vocem accedere picam. C. 341, 1 autem pro nocteque cum longa media iam pridem noctuque correctum est.

Nomina propria mutata brevium syllabarum quantitate haec extant: Macedonia 310, 1 longa tertia (longa secunda Ovid. Met. XII, 466), Cyriace 306, 1 longa tertia, Solon 351, 1 longa priore, Thales 351, 7 longa priore, Periander 351, 9 longa secunda. Cleobolus nomen longa prima, brevi tertia iam supra commemoratum est. Cetera vocabula, quarum breves syllabae in arsi producuntur, sunt haec: methodicis 302, 6 longa prima (de h littera consonae modo positionem efficiente cf. L. M. 314), vigilias 318, 3, moveas 315, 6, choro 332, 2, superior 363, 2 productis primis, parietibus 369, 1 longa tertia, philosophum 374, 4 producta prima. De negotii voce 340, 2 supra dictum est.

Restant productiones in thesi factae, si excipias brevis c. 359, 1, ubi editores recte sine dubio est addiderunt, hae: Zenobi 316, 2 longa secunda (v. infra), Bias 351, 9 et gula 303, 1 productis prioribus, sophisma 365, 3 longa prima (cf. L. M. p. 314).

Hiatus exemplum post brevem vocalem facti non extat, nam carm. 292, 2 inter frangere et horrisonum vel et cum Meyero vel que ponendum erit et c. 297, 2

Nec parcis, nisi forte ebriatus

R. Peiper (Fleckeis. annal. 1873 p. 340) debriatus recte legi in codice Salm. demonstravit. Post longam vocalem hiatus invenitur 362, 2 (te oderis) et ex L. Muelleri coniectura 367, 6 (superi animas), uterque in caesura. Porro m littera non eliditur 338, 7 (tandem haec) in caesura et in thesi, 333, 13 (iam huic), ita ut h littera in modum consonae praecedentes syllabas longas reddat. Accedit 372, 6 quam horto, ubi pro metri natura positio non fit, velut in hoc versu Corippi a L. Muellero p. 306 prolato

quoniam deus omnium hic est.

Longarum vocalium elisiones circiter viginti quinque extant, e quibus duriores hae: sociari Orestas 294, 9; per te iterum 324, 8; venatori oculos 335, 1; nam et 365, 4 in prima pentametri arsi.

Iam ad **metra Luxorii** ut accedamus, a phalaecio incipiemus, quod poeta in decem carminibus (287. 297. 301. 302. 307. 317. 332. 336. 355. 372) et centum quattuor versibus adhibuit. Cuius metri cum primus pes aut spondeo aut trochaeo aut iambo constare potuerit, trochaeus tamen et magis etiam iambus evanuit, ut dubitem an Luxorius carm. 301, 12 an hoc et 307, 7 mori spondeum esse voluerit. Sed 297, 1. 317, 2. 332, 3. 4. trochaeum pro spondeo posuit. At **297,** 5 Riesium

pro plora non recte plura scripsisse existimo. Nam ibi Luxorius suadet Lucino, ut non quod „coitum implere“ non possit, sed ne impleat lacrimas fundat. Pro primo trochaeo spondeum adhibuit, si codicis Salmasiani auctoritatem sequimur, 287, 12 (dehinc) et 332, 6 (reficit liber); nam possis 336, 4 correpta finali cum legi posse verisimile sit comparata quamvis voce, hanc mensuram cum L. Muellero adhibebimus. Sed ne primum quidem exemplum stare posse existimo. Cum enim Luxorius id sine dubio egerit, ut primus post dactylum pes trochaeus esset, non est credendum, eum spondiacam vocem posuisse, ubi trochaica aeque bona et nota suppeteret, id quod in dehinc particula usu venit. Itaque cum Heinsio deinde scribemus, cum praesertim codex Salm. deinc praebeat. Sed secundi trochaei loco spondeo usus est 287, 6. 297, 5 (in nomine proprio). 301, 8. 336, 5. Carm. 336, 1 dubito utrum cum codice Salm. praecedis legendum sit an cum Riesio procedis, quo in verbo prima syllaba brevis accipienda esset (cf. L. M. p. 363). Chirurge vero sive cherurge mavis et carm. 302, 11 et in carmine iambico 309, 6 brevi antepaenultima legendum esse pro certo affirmari licet (cf. chiragra s. cheragra apud Mart. I, 98, 2. IX, 92, 9).

Versu sapphico minore Luxorius usus est in carminibus 294. 311. 326. 358 triginta duorum versuum. In hoc metro tractando poeta omnes artis Romanorum leges observavit. Semper virili caesura usus est, excepto v. 8 c. 294

Dignus inter grammaticos vocari,

excusatus grammatici vocis circuitu. Quo in versu simul unice secundus pes voce spondiaca continetur, nisi cum L. Muellero p. 370 inter tmesi dividi existimes.

Versum asclepiadeum minorem legibus notis constructum adhibuit in carminibus 289. 314. 316. 323. 356. 361 duodequinquaginta versuum. Nam 314, 8 in fine versus vivis non minus correpta priore quam 316, 2 Zenobi in initio versus, quae est Luxorii licentia in nominibus propriis tractandis, producta secunda accipienda sunt. Versus autem 356, 1

Cypris candenti reddita marmore

sine dubio corruptus est et c. 323, 5

An tabulae melius praemia grata sunt

L. Mueller optime pro tabulae restituit tali.

Versus elegiambici octo extant c. 292 cum iambis puris, iambelegici constantes tripodia iambica catalectica in syllabam octo c. 305 nullo vitio admisso, itemque versus glyconei undecim c. 295, nam eius carminis v. 4 recte Heinsius Foedae scripsit pro Ferae (fere codex Salm. praebet). C. 298 octo versuum metrum habet ab Anacreonte fr. 64 (Bergk) adhibitum constans anacrusi duplici et versu ithyphallico. Tetrametri trochaici catalectici extant octo c. 291 secundum leges facti.

Dimetros iambicos catalecticos habemus duodeviginti c. 309, quorum primus pes semper spondeum praebet, ceteri iambos, excepto versu 14, cuius tertius pes spondiacus est.

Tria carmina 288. 315. 360 triginta versuum trimetros iambicos acatalectos exhibent, semper penthemimeri distinctos et ita comparatos, ut uterque ordo verbis in trochaeum et iambum exeuntibus concludatur. Solutione longarum syllabarum nec in hoc metro nec in alio iambico aut trochaico Luxorius usus est.

Dimetris anapaesticis scripta sunt carmina 299. 322. 357 duodetriginta versuum. Post priorem dipodiam semper vox finitur hiatu non admisso. Notandum videtur, primum et tertium pedem semper trisyllabos, secundum et quartum disyllabos esse. Quamobrem non recte Riesium cum Salmasio c. 322, 4 spurios scripsisse puto pro eo quod in codice Salmasiano legitur spurcos; nam spurci sane filii illi propter originem impuram et turpem dici possunt.

Versibus hexametris poeta usus est in carminibus 300. 325. 327. 345. 351. 353. 354. 367. 373, metro elegiaco in carminibus 203. 290. 293. 296. 303. 304. 306. 308. 310. 312. 313. 318—321. 324. 328—331. 333—335. 337—344. 346—350. 352. 359.

362—366. 368—371. 374. 375. Universi sunt hexametri ducenti sexaginta quattuor, pentametri centum sexaginta septem.

Atque in hexametris quidem pangendis summam Luxorius severitatem adhibuit. Caesura aut penthemimeris et ea quidem longe frequentissima, aut hephthemimeris cum trithemimeri et incisione post tertium trochaeum coniuncta invenitur. Semel hephthemimeris extat sine hac incisione c. 351, 3

Chilon quem patria egregium Lacedaemona misit,

semel hephthemimeris sine trithemimeri c. 369, 5

Nil Phoebi Asclepique tenet doctrina parandum,

sed utroque loco poeta excusatur nominum propriorum difficultate. Voces monosyllabae nec ante trithemimerim nec ante hephthemimerim inveniuntur. Ante penthemimerim quater formae copulae sunt (365, 3. 359, 7. 367, 8. 365, 1), semel alia vox monosyllaba (te 293, 5). Nam ne Luxorium 327, 5. 351, 6. 352, 1 et atque ut coniunctiones ante penthemimerim posuisse credamus et ipsa horum locorum condicione et aequalium velut Dracontii cura huius vitii vitandi perspecta prohibemur.

Primus locus in c. **327 de auriga elato (?) frequenter cadente** sic in cod. Salmasiano legitur:

Mox cadit et cadit, rursum cadit, inde resurgit
Et cadit, ut miseris frangantur crura caballis.

Quorum versuum in priore cum una longa syllaba desideraretur, Meyer et particulam post alterum cadit inseruit. Sed mihi quidem corruptela altius videtur latere. Potuit sane poeta quater vel quinquies aurigam cecidisse dicere, surgendi commemoratione omissa. Sed cum rursus eum surgere dicat, iure quodam nostro priorem surgendi notionem expectamus. Itaque v. 5 sic scribendum esse censeo:

Mox cadit et surgit, rursum cadit, inde resurgit.

Corruptelam autem ita extitisse puto, ut surgit propter similitudinem sequentis vocabuli rursum omitteretur et postea ab aliquo, qui unum pedem deficere sentiret, illud cadit insereretur.

Carminis **351 de sententiis septem philosophorum** vv. 5. 6 sic leguntur:

Ex Mitylenaeis fuerat qui Pittacus oris
Te, ne quid nimis ut cupias, exquirere dixit.

Mira sine dubio ratione, quam mihi quidem ignotam esse confiteor, ne — ut coniunctiones adhibitae sunt. Scribemus igitur nimium (ut 314, 1) pro nimis ut. Mihi persuasum est nimis deberi alicui qui, cum reminisceretur vocem illam Pittaci vel Solonis se semper legisse „Ne quid nimis“ (velut Anthol. 882, 7), statim correxit non reputans ne sic quidem ipsa verba sapientis illius restitui.

De tertio loco c. **352 de Ianuario mense** v. 1

Lucifer annorum et saecli, Sol, Iane, secundus

difficile est iudicare, cum versus sequens perierit. Sed si solum hunc versum primum consideramus, copulam deesse apparet, nam Lucifer secundus ne vocativum putemus et adiectivi forma et vocativis Sol, Iane prohibemur. Quam difficultatem sustulerimus, si es pro et scripserimus (eandem commutationem in codice Salm. reperimus 293, 6). Ceterum quid et de hoc et de aliis huius carminis versibus sentiam infra indicabo.

Iam in pentametris voces monosyllabas in fine prioris ordinis habes 296, 2 (quod te), 308, 2 (quae te), 366, 6 (color est). At finem pentametrorum Luxorius satis saepe non tam severe quam hexametrum sed liberius tractavit. Sunt autem in exitu versus voces trisyllabae antecedente monosyllaba novem locis, non antecedente monosyllaba quinque his 203, 2. 303, 4. 333, 8. 341, 2. 344, 2; nomina propria quattuor syllabarum 310, 4. 338, 8; aliae eiusdem generis voces 290, 2. 335, 4. 340, 2. 359, 4; nomen proprium quinque syllabarum 365, 2, aliud vocabulum eundem circuitum habens 308, 6. 368, 1.

Sequitur ut **de re grammatica** loquamur. Antea autem de titulis singulorum carminum pauca dicenda sunt. Quos ut aut a Luxorio aut certe ab aequale eius

carminibus praemissos esse iudicemus, hac re cogimur, quod in eis commemorantur res quas, cum in ipsis carminibus earum mentio non fiat, auctori titulorum vel visu vel ex ipso poetae ore notas fuisse necesse est. Eiusmodi tituli hi sunt: C. 299 „In magum medicum"; c. 312 „De Fama picta" cet.; c. 324 „In nomen Aegyptii" cet.; c. 332 „De laude horti Eugeti"; c. 340 „De causidico turpi, qui concubam suam Charitem vocabat"; c. 347 „De sigillo Cupidinis aquas fundentis"; c. 350 „De aquis calidis Cirnensibus"; c. 356 „De statua Veneris, in cuius capite violae sunt natae"; c. 369 „De horto domni Oageis" cet.; c. 371 „De rustica in disco facta" cet.; c. 374 „— Cupido mingit in podice eius".

Quae cum ita sint, ea quoque, quae in titulis erunt commemoratione digna, Luxorio attribuemus.

Ac primum quidem ea vocabula notabimus, quae quod sciam apud nullum alium auctorem inveniuntur. Eiusmodi nomina substantiva haec sunt: concuba 340 tit., 343 tit., in medicolenonem 302 tit., nisi praestat Riesium sequi proponentem medicum lenonem. Baudus c. 307, 5 quid sit, utrum substantivum an adiectivum an nomen proprium ignoro. Praeter has voces commemoranda sunt duo nomina propria graeca, quorum ex accusativo Luxorius, velut pro Salamine etiam Salamina invenitur, novum nominativum effecit: Lacedaemona 351, 3 et Laida 374, 1 (cf. Dracont. Satisf. 31 Babylonae). Restat ut de acceptorario illo infelici in titulo c. 300 commemorato dicamus, a quo egregia I. Draesekii collegae coniectura nos liberavit, qui haec a se scripta ut commentationi meae insererem permisit:

„Carmini **300** apud Riesium inscriptum est **in acceptorarium obesum et infelicem**. Hoc in titulo quid significet vox acceptorarius frustra quaeritur. Nam neque in adnotatione critica neque in verborum indice anthologiae fasciculo alteri adiuncto ab editore quidquam adicitur, ex quo qualem hominem notaverit Luxorius intellegatur. Iam si unius vocabuli primitivi unde vox acceptorarius derivanda sit ratio habetur, animo sane quis informare potest, hominem esse intellegendum, qui vectigalia exigat et accipiat vel tali quodam munere fungatur. Id vero ne statuamus eo prohibemur, quod nec apud ullum unquam inde ab ultima antiquitate usque ad nostram memoriam scriptorem vocis illius acceptorarius ulla fit mentio, et carmine ipso illa explicatio non modo non probatur, sed alia potius eaque multo probabilior perspicue subministratur. Dicit enim poeta:

Pondere detracto miseras, Martine, fatigas
Pressura crudelis aves, pinguedine tanta
Ut tu sis, frustra maciem patiuntur iniquam.
Debuerant (fateor) magis has tua pascere membra,
Ut numquam possent ieiuna morte perire.

Verba igitur facit Luxorius, si quid video, vv. 1 et 2 de homine, qui cum avibus captis esuriendo pondus detraxerit, cibi iam avidissimas iterum atque iterum ad alias volucres capiendas evolare iubeat, eo videlicet consilio, ut ipse (v. 3) his curet pelliculam. Atque hoc ad munus ab aucupe illo rapaces aves adhiberi e vv. 4 et 5 satis apparet. Iam constat accipitres inprimis in aucupio fuisse usitatissimos, cum facile in aucupis pugno sedere et in monstratam praedam nutu eius involare et, cum eidem liberet, ad vincula redire assuescerent, ut est apud Martial. XIV, 216:

Praedo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit et captas non sibi maeret aves.

Quod venationis genus iam apud veteres in honore fuisse immerito negat Riesius, cum (Praef. ad anthol. fascic. II. pag. XLI) carmen quoddam propter versum

Unguibus accipitris captam rogo percipe praedam

ab antiquitate alienum esse opinetur. Et mirandum sane est, eum in ipsa „venationis accipitrariae commemoratione" non in rectum et unum rei de qua hoc loco agitur aptum incidisse vocabulum. Etenim pro acceptorarium sine ulla dubitatione scribendnm esse puto accipitrarium. Quod vocabulum — et idem quadrat

in innumerabilia fere alia — cur a Forcellinio in ipso lexico plane omissum, tum opere paene absoluto in appendicem relegatum sit, nullam profecto sanam adferri posse rationem ego quidem persuasissimum habeo."

Nomina adiectiva nova haec habes: praememor 305, 7; centum folia 366 tit., pro eo quod est centifolia; Romalidae 289, 8 (subst. Verg. Aen. 8, 638); Harpyacus 333, 8. — Verba alibi non extantia sunt provaleo 307, 6, resordeo 311, 3, subapto 332, 14, placesco 353, 12 (in cod. Salm. placessit scriptum est), praemedico 369, 4 (at praemedicatus etiam apud alios invenitur).

His vocibus accedunt nonnulla rarissima: fulgidulus 355, 1 ex coniectura Burmanni (secundum lexica a Terentiano solo usurpatum); offusco 345, 5 (tantum a Tertulliano, ut videtur, adhibitum); pulcresco 353, 13 (in cod. Salm. pulcresis legitur; hoc verbum apud Sammonicum et Augustinum invenitur); zelor 314, 1 (secundum lexica Vulgat. Regg. I, 19, 14, qui locus tamen non commemoratur in H. Roenschii libro, cui inscribitur „Itala und Vulgata"; at zelo apud Tertullianum et Augustinum extat cf. Roenschium l. l. p. 249).

Iam compluria vocabula novam quandam significationem apud Luxorium adepta sunt. Consessus 304, 6, quod substantivum apud ceteros auctores de pluribus sedentibus dicitur, ad unum refertur eodem modo quo considendi verbum. Fama miro usu sic dicitur 351, 11

Urbe Periander genitus, cui fama Corintho est

pro tali quale nobile nomen. Barbata coma 374, 2 pro barba usurpatur. Sed facilis adiectivum brevitatem vel exiguitatem significare posse c. 290, 4 non credo. C. 351, 6 exquirere legitur pro eo quod est operam dare.

Vel particulam illorum temporum more pro et adhibuit Luxorius 294, 3. 296, 1. 365, 4 (ubi et — vel pro et — et). 367, 2; de vel adverbio pro quidem vel saltem 322, 8 usurpato v. infra.

Quantum pro quam habes 330, 3 (quantum magna a Meyero correctum pro quanto), quam pro quanto vel quantum 348, 1 (quam melior); tam — quam pro et — et 287, 18 sq. (tam te — quam me; tam te Meyer correxit pro tantae); sed audacius quantum post comparativum positum est pro quam 310, 4. — At dum particulae comparandi vim inesse c. **331 de partu ursae** v. 5 sq.

Attrito truncum formatur corpore pignus,
Dum sculpendo facit crescere membra faber,

mihi quidem non persuadebitur. Alia autem horum versuum explicatio fieri non potest. Nam nec v. 5 ad fabrum referri potest propter pignus vocem, nec ursa faber sculpens appellari. Ut particulam excidisse eiusque in locum dum versui 2 fortasse in margine adscriptum irrepsisse existimo. Cf. ea, quae infra ad 360, 11 diximus.

Postremo nonnullae inusitatiores constructiones notentur. Sedere, quod verbum a scriptoribus recentioris aetatis nonnumquam cum accusativo coniungitur, ubi de equitando sermo est, eodem modo usurpatum extat 330, 2 (ut sedeat simia blanda canem), at liberius etiam 312, 4 (quorum limen fortis amica sedes ubi cod. Salm. sedis habet ut c. 313, 4) et 350, 4

Tetraque inaccessam sederat umbra viam,

nisi hoc loco sederat a sidendi verbo simili libertate adhibito repetere praestat.

Sed in titulo c. **373 de eo qui podium amphitheatri saliebat** pro eo quod est in versu primo podium transcendere saltu dictum esse, praesertim pedestri sermone tantum abest ut credam, ut licet codicis Salm. auctoritas obsistat transiliebat proponam. Praepositio fortasse propter similem praecedentis vocabuli exitum intercidit. Aliter autem iudicandum videtur de v. 11 c. 373

Corpore, non pinnis, fastigia summa volavit.

Hic enim intellegimus, illum iuvenem non trans aliquam rem volavisse, sed eam volando assecutum esse.

Tabulam vincere more Graecorum Luxorius dicit 333, 9 sq. Sed genetivum pro ablativo 342, 2

Cum sis phoenicis grandior a senio

positum esse cum vix credibile sit, fortasse cum Riesio phoenice scribendum est. Ablativus gerundii inusitatius adhibetur 346, 3

Spectat arando novos agrestis turba labores.

Ex praepositionibus in miro modo cum accusativo coniungitur, ubi ablativum expectamus, 293, 4. 356, 4. 367, 1 (cf. Roensch. l. l. p. 406); 323 tit. ludere in pretio, legitur pro eo quod iureconsulti dicunt ludere in aliquid; de c. 304, 7 (in medium) v. infra; ablativus autem pro accusativo extat 306 tit., 323, 2. 366, 4. 374 tit. (cf. Roensch. l. l. p. 410). Sed dubitare licet, an his quattuor locis et 356, 4 Luxorius metri difficultate non coactus legem neglexerit, cum praesertim excepto titulo c. 306 m vel n littera aut addita aut dempta vitium corrigi possit; nam non raro in codice Salm. hanc in partem peccatur (cf. c. 307 tit. et 323 tit., ubi in cod. Salm. studente pro studentem et ludentẽ pro ludente); ac 323, 2 quidem L. Mueller, 366, 4 Meyer accusativum pro ablativo posuit; 306 tit. autem in populos pro in populo iactare commendatur eiusdem carminis v. 2:

Crimine victores polluis et populos.

Pro accusativo graeco in cum accusativo invenimus 353, 11 (obscuros elephans inmanis in artus).

Ex coniunctionibus dum saepius aliter ac leges linguae latinae praecipiunt construitur. Solita quidem notione sed cum coniunctivo legitur 203, 6. 344, 3. (cf. Dracont. 5, 12. Satisf. 168.) Pro cum temporali extat 375, 1 (dum vorasset), cuius carminis in titulo legimus cum devorasset. Loco coniunctionis adversativae cum et modum indicativum regens tantum 293, 6 invenitur

Dum Memnon facie es, non tamen es genio,

ubi non sine aliqua probabilitate L. Mueller coniecit tu. Eandem vim dum habet sed cum coniunctivo positum 307, 5. 338, 2. 354, 3. 361, 5 (cf. Dracont. 8, 344). — Cum pro coniunctivo indicativum regit 369, 8, sed idem fieri 350, 3 Riesio non concedo. Eius carminis vv. 1—4 hi sunt:

Ardua montanos inter splendentia lucos
Culmina et indigenis nunc metuenda feris,
Cum deserta prius solum nemus alta tenebat
Tetraque inaccessam sederat umbra viam.

V. 3 in cod. Salm. sic legitur

Quo deserta prius solo nemos tutra tenebat.

Propius ad similitudinem litterarum quam Burmanni qua et antra tenebant et Riesii cum et alta vel arva accedere puto

Quae (sc. culmina) deserta prius solum nemora atra tenebant.

Atrum nemus habes Verg. Aen. I, 165. Que et quo facillime commutari poterant.

Quod coniunctionem pro accusativo cum infinitivo (quo de usu cf. Roenschium l. l. p. 402) septem locis invenimus, cum indicativo coniunctam 301, 14. 367, 6. 369, 7, cum coniunctivo 299, 8. 357, 6. 361, 6. 368, 4. — Ut particulam loco accusativi cum infinitivo (cf. Roensch. l. l. p. 445) Luxorius adhibuit 329, 4, et accusativum cum infinitivo pro ut post, dicendi verbum 351, 2. 6 (cf. Dracont. 8, 177). — Infinitivum graecum inusitatiorem legimus 338, 7 sq.:

Defuncta est tandem, haec iurgia ferre per umbras
Cumque ipsa litem reddere Persephone.

Praeterea infinitivus insolito more ab aptandi verbo pendet 304, 16

Aptasti digno pingere facta loco,

si sanus est locus.

Indicativus pro coniunctivo in oratione obliqua 365, 2 legitur (Quod nulli est pecudi; cod. Salm. es pecodus praebet).

Tmesim habes 345, 14 (inter videt esse catervis). Inusitatus verborum ordo adhibetur 287, 8 (quam magis pro magis quam) et 291, 6

Ac suum, quo liber esse, transnatat, solet, mare,

si recte Meyer transnatans vocabulum codicis Salm. correxit.

Postremo notandum videtur, Luxorium cum studio quodam atque amore longioribus asyndetis uti, velut 203,2. 288,8. 353,4. 353,5. 354,2 (similiter Dracontius 8,286 et saepius).

Restat ut eos locos recenseamus, quos quod corruptos putavimus coniectura sanandos esse arbitrati sumus.

Carmen **291** est **de piscibus, qui ab hominibus cibos capiebant.** Ibi vv. 7.8. sic leguntur:

Sic famem gestu loquaci et mitiori vertice
Discit ille quam sit aptum ventris arte vincere.

Ubi quid Riesius voluerit scribens e mitiori latice (ut omittam vocem latex priorem syllabam habere brevem) non video. Recte enim priore versu piscis precibus quibusdam atque in flumine mari relicto cibum appetere dicitur. Sed non intellego quid ventris arte significet. Quam enim artem venter exercet praeter illam cibos et accipiendi et concoquendi et removendi? Itaque propono ventris arta noto Romanorum usu dictum. De adiectivi artus notione cf. Sil. It. VII, 280 (arta fames).

Carmine **292** agitur **de apro † missum in triclinio nutrito.** In codice Salm. missû scriptum est, pro quo melius non habeo quam quod Riesius dubitanter proponit mitissimo (cf. 360,8). Sed idem cur hoc loco ad carmen 230 de **missuassu** nos releget non liquet, nec magis quomodo hunc titulum fortasse recte scribi **de missu** (i. e. ferculo) **asso** sibi persuadere potuerit (Anthol. I. praef. p. XLVII). Carmine 230 enim esca describitur carne complurium bestiarum constans. Itaque id ipsum, in quo totum carmen versatur, mistio carnium in Riesii titulo neglegitur. De mistu asso igitur legendum erit. Mistum autem non minus bene in tali re usurpari posse quam misturam (Colum. XII, 57) mihi quidem persuasum est. — Sed ad carmen 292 redeamus, ubi v. 4 sic legitur:

Et posito famulas furore temperat minas.

Pro famulas Riesius dubitat an fremitus scribendum sit. Leniore correctione nec minus loci naturae apta scribemus tremulas. Eandem vim tremulus habet Cic. Arat. 68. Prop. I, 5,15. — Vv. 6 sqq. sic scripti extant:

Atria nec rapidis decora foedat ungulis.
Sed domini placidam manum quietus appetens
Fit, magis ut Veneris dicatus ille sit sacris.

V. 8 fit nullo modo ferri posse existimo. Nam si appetens fit coniunxeris, quod facere verborum positione cogimur, dicendi rationem habebis vel Luxorio indignam. Si autem quietus fit intellegas, observandum est aprum non, dum manum heri appetat, fieri quietum, sed secundum versus antecedentes semper in domo quietum fuisse. Aliter res se habet v. 4, quo aper furorem ponere dicitur, nam ibi feritati eius, si liber sit, antea commemoratae mores mitiores facti opponuntur. Pro fit igitur it legendum esse censeo.

Carminis **299 in magum medicum** vv. 6 sqq. sunt hi:

Fame dum pulsus Tartara cantu
Omnia turbas, aliquid credis
Dare quod possit super his Pluton,
Pauperibus quae puto quod † petus.
Egeas totum semper in orbem,
Mage, si poscis membra perempta.

Codex Salm. v. 7 praebet crederis aperte falsum et a Meyero correctum, v. 9 q; pro quae, quod Riesio debetur; idem pro petus proposuit dentur, quamquam dubitationis signo instructum. Sed mihi quidem quam sententiam efficere voluerit reputanti lux non exorta est. Nam cum appareat illum magum Plutonis auxilio divitias appetere (v. 10), pauperum nomine (v. 9) sine dubio homines intelleguntur,

cum praesertim pauperes sic nude positum aliam significationem habere non posse videatur. Iam super his v. 8, ut nunc verba leguntur, intellegendum videtur pro aliquo magi beneficio, Plutoni nimirum praebito. Sed quo his numero plurali positum pertineat non liquet; nam v. 6 de cantu solo dictum est. Si autem his sequentibus verbis definiri putes, v. 9 de aliqua re non Plutonem vel Manes sed homines spectante dici videtur. Itaque puto superis pro super his scribendum esse. Nam id, quod in terris est, non raro superum dicitur. Iam quid magus sibi dari velit quaerendum est. Non ipsas divitias optat, sed ut Manes sibi appareant (v. 5. 11), cuius rei sine dubio se ab aliis praemia accepturum sperat. Quam sententiam assequemur legentes:

aliquid credis
Dare quod possit superis Pluton
Pauperibus quo puto ditentur.

Corruptelam sic extitisse arbitror, ut primum que pro quo scriberetur, deinde quo supra lineam adderetur, tum ante ditêtur insereretur.

Carminis **301 in vetulam virginem nubentem** vv. 12 sqq. sic leguntur:

An hoc pro titulo cupis sepulcri,
Ut te cognita fama sic loquatur,
Quod stuprata viro est anus nocenti?

In his quid sit cognita fama non intellego. Propono igitur Ut per compita cet. Tum sententia erit haec: „An hoc in sepulcro inscribi cupis, te a nocenti viro stupratam esse, ut ea fama ubique circumferatur?“. Id de se dici virginem illam fortasse malle poeta indicat, quam se tam grandem natu nubendi cupiditate abripi.

Carminis **303 in diaconum festinantem ad prandium cauponis** vv. 3. 4. ita scripti sunt:

Pulpita templorum, ne pulpita quaere tabernae,
Numina quo laudes, non phialas referas.

V. 4 codex Salm. reseras praebet, codex Paris. 8071 referas, codex Voss. referes. Sed referendi verbo vim huic loco aptam inesse nego. Scribendum est repetas, i. e. iterum atque iterum petas vel exhaurias.

Carmine **304 de turre in viridario posita, ubi se Fridamal aprum pinxit occidere** Luxorius, postquam nonnulla loca silvis insignia commemoravit, sic pergit vv. 5 sqq.:

Haec vero aetherias exit quae turris in auras
Consessum domino deliciosa parans,
Omnibus in medium lucis ornata refulget
Obtinuitque novo praemia cuncta loco.

His versibus primum desideratur comparatio huius luci cum silvis antea commemoratis; deinde omnibus lucis ornata permire dictum est; postremo in medium bene explicari non potest. Itaque haud scio an legendum sit in melius, ita ut omnibus pendeat a melius, lucis ab ornata. In melius ut 216, 10 (in melius personet icta chelys).

Carminis **316** in titulo **de eo qui se poetam dicebat quod in triviis cantaretur et a pueris laudaretur** pro cantaretur sine dubio cantaret legendum est collatis versibus 2. 3 (trivio carmine perstrepis Indoctaque malis verba facis locis).

Carmen **322 de eo qui uxorem suam prostare faciebat pro filiis habendis** totum apponam, ut a Riesio editum est.

Stirpe negata patrium nomen
Non pater audis; castus adulter
Coniugis carae viscera damnas,
Pariat spurios ut tibi natos

5. Inscios, quo sint semine creti.
Fuerant forsan ista ferenda
Foeda, Proconi, vota parumper,
† Scire vel ipsam si tuus unquam
Posset adultus dicere matrem.

Spurcos v. 4 cum codice Salm. et coiugis v. 3 me proponere iam supra dixi. Praeter illud spurcos in codice Salm. invenitur v. 2 carus, v. 3 castae, v. 5 inscius quod, v. 8 ipsa (ipsam ex coniectura Burmanni) situs. Atque primum quidem Riesii coniecturam v. 2 castus et v. 3 carae scribentis duriorem puto quam hanc meam rarus adulter Coiugis castae. Deinde notandum est inscios v. 5 metro non aptum esse. Quid autem scribendum sit reperiemus, si extremos quattuor versus paullo accuratius consideraverimus. Eorum autem sententia, si et Burmanni coniecturam ipsam et si tuus acceperis, haec erit: Vota ista turpia aliquid tamen excusationis haberent, si filius tuus adultus aliquando dicere posset matrem saltem scire — quid? nimirum „quo sint semine creti“ filii. Nam si ne mater quidem id sciet, filio apparebit matrem a patre non uni sed omnibus permissam esse. Hoc autem multo turpius sine dubio putandum est quam illud. Vel particula eandem vim habet atque apud Dracontium 9,148:

Vel medium Priamo, generose, refunde cadaver,
Nam partem tractura tenet.

V. 5 igitur inscia restituemus. Iam totum carmen hanc formam habebit:

Stirpe negata patrium nomen
Non pater audis; rarus adulter
Coiugis castae viscera damnas,
Pariat spurcos ut tibi natos
5. Inscia, quo sint semine creti.
Fuerant forsan ista ferenda
Foeda, Proconi, vota parumper,
Scire vel ipsam si tuus unquam
Posset adultus dicere matrem.

Carmen **323 de aleatore in pretio lenocinii ludente** sic legitur apud Riesium:

Ludis, nec superas victor ad aleam,
Nec quicquam in tabulam das, nisi virginem,
Spondens blanditias et coitus simul.
Hoc cur das aliis, quod poteras tibi?
5. An tali melius praemia grata sunt,
Aut prodest vitium tale, quod impetras?
Si vincas, ego te non puto virginem
In luxum cupere, sed mage vendere.

V. 1 codex Salm. exhibet ultor; v. 2 tabula a L. Muellero correctum, qua de re supra diximus; v. 6 prodeest, et imperas a L. Muellero correctum. Ceteras codicis Salm. discrepantias omitto, quippe quae iam ab aliis sublatae sint. V. 1 L. Mueller proposuit superat alter, i. e. nisi fallor superest alter. Sed si nemo alius superesset, aleator nec virginem offerre nec vincere (v. 7) posset. Quod autem Riesius scripsit superas victor, id inusitatius dictum est. Nulla littera mutata legendum est nec super as ultor; cf. Hor. sat. I, 1,43. ep. II, 2,27. As ultor vocatur, quod pecunia perdita repetenda adversarios aleatores ulciscitur. — Iam ad vv. 5 sq. accedamus, quibus poeta causas enumerat, cur aleator id aliis det, quod magnopere commendet et ipse sibi habere possit. Bene igitur dicit: fortasse tibi praemia aleae gratiora sunt. At v. 6, si recte eum intellego, talis causa non inest. Imo apte poeta eum sic alloquetur, qui praemio proposito allicitur, non eum, qui praemium proponit. Quamobrem haud scio an sic legendum sit:

Aut forte est vitium, tale quod imperat,

h. e. fortasse aliquod vitium est (aut tuum aut puellae), quod te illam „in tabulam dare“ iubeat.

Carminis **324 in nomen Aegyptii, quo equi circi infortunium capiebant** vv. 5 sq.

Tu quoque confractis defectus in aequore pinnis,
Icare, Phoebeo victus ab igne cadis

non credo de Icari alis confringendi verbo usum esse Luxorium, sed compactis pinnis scribendum esse.

Carmen **325 de Romulo picto, ubi in muris fratrem occidit** sic legitur:

Disce pium facinus: percusso, Romule, fratre
Sic tibi Roma datur. huius iam nomine culpet
Nemo te caedis, murorum si decet omen.

V. 2 codex Salm. culpa exhibet, a Riesio bene correctum. Sed quod v. 3 L. Mueller (de re metr. p. 166) „pro illo aperte falso si restituendum sine mora sed“ affirmat, et Riesius pro si decet mavult legi si accipit, utrumque aperte iudicium fefellit. Nam v. 3 sive ab initio sive a fine legis, eadem vocabula praebet.

Carminis **332 de laude horti Eugeti** vv. 8. 9 eadem voce repetita offendimur:

Cui numquam minus est amoena frondis,
Cui semper redolent amoena verni,

ubi poetam aut aroma frondis aut redolet aroma scripsisse puto, ita tamen ut propter duram constructionem (nam frondis nominativum esse Meyero annott. ad Anthol. I p. 130 non credo) in v. 8 aroma fuisse existimem.

Carminis **335 aliter unde supra** i. e. **de venatore picto in manibus oculos habente** vv. 5 sq. hi sunt:

Naturae lucem vicerunt fortia facta:
Iam visus proprios coepit habere manus.

Quid sit naturae lux frustra quaerimus; propono igitur naturae legem.

Carmen **340 de causidico turpi, qui concubam suam Charitem vocabat** apud Riesium sic scriptum extat:

Esset causidici si par facundia nervo,
Impleret cuncti viscera negotii.
At tamen invigilat causis, quae crimina pandunt,
Dum Veneris famulam iure Priapus agit.

V. 4 codex Salm. habet fabulâ, unde Burmannus famulum, Riesius famulam elicuit. Sed dubito, num, si ita legamus, iure explicari possit. Poeta, si recte v. 3 intellego, facete dicere vult ne in concubitu quidem causidicum negotii sui immemorem esse. Quamobrem sic Luxorium scripsisse puto:

At tamen invigilat causis, quae crimina pandunt:
Cum Veneris famula iure Priapus agit.

Carmen **345** est **epitaphion de filia Oageis infantula.** Eius vv. 10 sqq. hi sunt:

Dulce loquebatur, quidquid praesumpserat ore,
Linguaque diversum fundebat mellea murmur,
Tamquam avium vernare solet per tempora cantus.

Frigidum illud per tempora Luxorio indignum esse existimo, praesertim in eo carmine, quod magis quam cetera verum poetam sapit. Lenissima igitur mutatione facta restituemus:

Tamquam avium verna resonet per tempora cantus,

sive mavis resonat.

Venimus nunc ad carmen **352 de Ianuario mense,** quod in corruptissimis numerandum est.

Lucifer annorum et saecli, Sol, Iane, secundus
. . . . . .
Tu rota certa tui tecum sine fine laboris;
Itque reditque tibi, quidquid in orbe venit.
Omnia perpetuis praecedis frontibus ora;
Quae necdum venient quaeque fuere vides.

Ex discrepantiis codicis Salm., quae alicuius momenti esse videantur, has commemoro: v. 1 seclis, v. 6 queve. V. 1 es pro et legendum esse supra demonstrare conatus sum. Iam quomodo secundus de Iano dici potuerit, quamquam v. 2 deficiente difficile est iudicare, non liquet. Itaque cum in codice seclis sit, suspicor sequendus poetam scripsisse, ut Ianus non solum annorum sed etiam saeculorum initium diceretur. V. 3 nec ut supra legitur nec coniectura Riesii accepta pro tu est proponentis aptam sententiam praebet. Quid enim sibi vult illud tecum? Scribendum videtur it pro tu et circum pro tecum. Restat v. 6. Quis unquam audivit res futuras esse nondum venturas? Imo res futurae non solum venturae sed etiam venientes sunt, ut veniunt coniciens parum proficias. Sine dubio restituendum est quaeve dein venient quaeve. Exemplum ve—ve pro et—et positi quamquam in promptu non est, tamen nemimen dubitare confido, quin is, qui toties vel pro et usurpaverit, idem in ve particula ausus sit, cum praesertim in particula, quae est neve, ve aperte eam vim habeat. Totum igitur carmen ita constituemus:

Lucifer annorum es, saeclis, Sol, Iane, sequendus
. . . . . .
It rota certa tui circum sine fine laboris.
Itque reditque tibi, quidquid in orbe venit.
Omnia perpetuis praecedis frontibus ora;
Quaeve dein venient quaeve fuere vides.

Carminis **353 de Olympio venatore Aegyptio** vv. 3. 4 ita leguntur:

Tu vero nomen membrorum robore signas,
Alcides collo scapulis cervice lacertis.

V. 3 Luxorius, ut mihi videtur, venatori illi iure nomen Olympio esse dicere vult. Quare haud scio an melius sit verum. — Eiusdem carminis vv. 6 sqq. hi sunt:

Nil tibi forma nocet nigro fuscata colore.
Sic ebenum pretio † sasue natura creavit,
Purpura sic † magno depressa in murice fulget,
Sic nigrae violae per mollia gramina vernant,
Sic tetras quaedam commendat gratia gemmas.

Fuscata v. 6 a L. Muellero restitutum est pro fugata codicis Salm. Idem codex v. 7 habet preciosas. uenatura. Riesius suspicatur pretio carum verba poetae esse. Sed notandum videtur versibus sex 7—12 nigras res, quae nihilo minus pulchrae sint, enumerari semperque, si versum corruptum 8 excipias, nigrum colorem commemorari (de v. 10 vide infra). Itaque proposuerim picea facie. Nec dubitarem v. 8 nigro pro magno scribere, nisi et v. 6 et 9 id vocabulum legeretur. Sed pro depressa sine dubio deprensa scribendum est. Nec v. 10 tetras stare poterit, nisi Luxorium concedere voles Olympium foedum esse propter nigrum colorem. Atras igitur corrigas.

Carmine **354** de eodem Olympio Luxorius dicit vv. 3. 4:

Qui puer ad iuvenes dum non adiunxeris annos
Omnia maturo conplebas facta labore.

Pro adiunxeris codex Salm. exhibet adunxeris, ubi Riesius adiungeris latere suspicatur. Et sententiae aptius est et propius ad litteras traditas accedit advixeris, quod verbum invenitur apud Statium Theb. XII, 424.

Carminis **360 de pardis mansuetis, qui cum canibus venationem faciebant** vv. 11 sqq. sic praebet Riesius:

O quod magister terror est mortalium,
Diros ferarum qui retundit impetus,
Morsus repertis ut cibis non augeant.

V. 13 codex Salm. habet

Morsu repertis et cibis non audeant,

unde Riesius versum supra scriptum effecit, Burmannus autem

Morsu repertos ut cibos non adpetant.

Mihi Riesius obscuriorem sententiam proponere, Burmannus nimis a litteris traditis recedere videtur. Nonne simplicius erit scribere

Morsum in repertis ut cibis non audeant.

